



Diss. Thk. Vol. I.



Oeltz 61 Q (1-34)

Disputatio Quinta  
De  
DATIS CHRISTO  
in tempore:

*In qua agitur*

De vocula EST, ejusq; propria vi, ac germana significatione,

*Ex Matth. 28.*

Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra.

*E T*

Ego sum vobiscum usq; ad consummationem seculi.

*P R A E S I D E*

GREGORIO FRANCO THEOL. D.  
& Prof. Viad.

*R E S P O N D E N T E*

JOHANNE-CHRISTOPHORO HUEBNERO,  
*Publicè Clu<sup>m</sup> Je<sup>m</sup>, ad diem 1<sup>o</sup> Decemb.*

*I. Tim. 1. v. 7.*

*Non intelligunt, neq; que loquuntur, neq; de quibus affirmant.*

S. Maximus in disp. cum Pyrrho Monothelita p. 695. T. VIII.

*ap. Bar. in annal.*

*Rem ipsam loquor: nihil me tam à vobis abalienavit,  
quam mutabilitas vestra & inconstantia, id est, in a-  
liis alio tempore transire sententias & in nullo sensu  
permanere.*

*Typis exscrispsit*

FRIDERICUS HARTMANNUS  
Bibliopola.







## Olenne est nova-

rum opinacionum autho-  
ribus & patronis , qui curiosè ar-  
gutie esse volunt, & \* sapere, supra-  
quam s̄portet sapere & supra id,  
quod scriptum est, partim fastidi-  
re, partim in alienissimos à scri-

ptura sensus torquere usitatos in Theologia terminos:  
quo fit, ut his salutaris & regiæ viæ indicibus quasi qui-  
busdam Mercurialibus statuis è conspectu dissentium ac  
docentium remotis, in devia omnia abripi, & errorum  
præcipitia delabi necesse sit imperitos & aȝneȝnt ȝ. 2. Pet.  
3. vers. 16.

\* Rom. 12. v. 3. 1. Corinth. 4. v. 6.

II. Hoc si quisquam alias, certè Sophistæ quidam nostri  
temporis egregiè hactenus præstisſe, & quasi palmam  
omnibus aliis in eo νυβείας genere præripuisse videri pos-  
sunt, 1. Vocabula cōcreti, abstracti, unionis, cōmunicationis, pro-  
prietatum, operationum, particularum reduplicativarum, cœli,  
inferni, ascensionis, sessionis ad dextram, &c. mirificè intricā-  
do. 2. Arcanos suos modos, quibus tāquam arietibus qui-  
busdam in speciem quidem & coram vulgo plausibilibus,  
sed reverā invalidis, Veritatis arcem oppugnare conati  
sunt, identidem ingerendo atque urgendo. 3. Contradi-  
centia, & adversis quod ajunt, frontibus inter se pugnan-  
tia malè quadrantibus quibusdam distinctiunculis palli-  
ando, arcanitatis suæ colore infuscando, & idem re ipsa-  
simul verum & falsum esse asseverando.

III. Unde efforuerunt egregia illa emblemata & fana-

A 2 tico-

ticorum specimina ingeniorum à quibus accepimus,  
corpus CHRISTI in loco esse localiter , & extra omnia loca  
simul eodemque tempore illocaliter : esse naturaliter cir-  
cumscriptum supernaturaliter simul eodemque tempore  
incircumscriptum: simul finitum & infinitum, seu non defini-  
nitum: esse modo corporis in uno loco , modo non corporis in  
omni loco : esse in se unitum & continuū in uno loco , & si-  
mul eodemque tempore per infinita loca & per interce-  
denta corpora alia à seipso divulsum : Ubique non esse in-  
se, sed ubique tamen esse se: undum substantiam, &c. Similia  
his sunt, quæ jactitant, & obrendunt in Eucharisticā con-  
troversiā, nempe, Pani inesse corpus Christi quantum, sed  
non quantitativè: comediore , sed non oraliter: &c. &c.  
Sic nimirum isti fabulantur , non fabuloſo modo: calu-  
miantur non calumnioso modo: argutantur, non argu-  
to modo. Φημι διπόφημι, ηγήσον ἔχω, τί Φῶ, inquit ille. Et quid  
est, profanas vocum novitates sectari, si hoc non est? 2. Ti-  
moth. 2. v. 16.

IV. Hæc si in Ecclesia invaleſcere inciperet barbaries,  
nullum certè tam immane portentum foret : ad quod  
amplectendum cerebroſi quidam & insani novatores  
nos non conarentur adigere. Quidnietiam tenebrio ali-  
quis mihi persuadere conetur, nivem, verbi gratia, albam  
simul & nigram esse? albam in se & naturaliter, seu secun-  
dum modum nivis, ut illis loqui libet ; nigram secundum  
modum nigredinis, seu singulari quodam arcano & hy-  
perphysico modo : sic Platонem sedere secundum mo-  
dum ſessionis, non sedere secundum modum stationis,  
supernaturalem quendam & arcanum : Æthiopem esse  
album secundum dentes, nigrum secundum dentes, si co-  
gitetur



gitetur esse talis naturali ac supernaturali modo. Sic in re proposita, Christum mortuum quis dicere posset, more naturæ, & pro conditione communi hominum reliquorum: non mortuum ratione quadam divina, & ineffabili, præfertim si cogitetur Humanitas fuisse unita verbo vivifico & immortali, & habuisse realiter sibi communicatum immutabilis vitæ proprietatem; &c. Cogitationibus enim & considerationibus isti sua omnia sese abunde constabilire posse confidunt.

V. Tantam in homines benè natos cadere posse impetratiam non ereditissemus: nisi eadem *apposita* me diabolus quosdam priscos dementasset hæreticos. Unde Patribus ansa suppeditata fuit iis occurrenti, nosque adversus eiusmodi phantasmatu[m] praemuniendi.

VII. Sic Augustinus in Psal. 93. Tom. 8. pag. 1054. Si dixerimus: inquit, quia non erat tristis cum Evangelium dicat: Tristis est anima mea usque ad mortem: Ergo & quando dicit Evangelium: Dormivit Jesus: non dormivit Jesus: Et quando Evangelium dicit: Manducavit Jesus, Non manducavit Jesus: surrepet vermiculus putredinis, & nihil sanum relinquet, ut dicatur, quia & corpus non erat verum, & carnem veram non habuit. Quicquid ergo de illo scriptum est, Fratres, factum est, verum est.

VIII. Tertullianus, contra eos qui carnem Christi quaestionibus distrahit (verba ejus recito) tanquam quoquo modo aliam præter humanam, & qui nativam verborum significationem pervertunt, ut dogmata sua sub iis occultent, in eo ipso libro quo naturalem carnis Christi veritatem qualis fuit in Abrahamo (sic enim ibi loquitur diserte) adversus Marcionem defendit, ita scribit: p. 23. *Apud nos ni-*



bil dubium, nec retortum in anticipitem defensionem. Lux, lux: &  
tenebra, tenebra; & est, est: & non non: Quod amplius hoc, hoc à  
malo est, Peperit, quæ peperit, &c. Et paulò post: Quod Esias  
jaculatur in sugillatione hereticorum ipsorum & in primis, Va  
qui faciunt dulce amarum & tenebras lucem; istos scilicet notat,  
qui nec vocabula ipsa in luce proprietatum suarum conservant:  
ut anima non alia sit quam qua vocatur, & caro non alia quam  
qua videtur, & Deus non aliis quam qui predicator. Benè quod  
idem veniet de cœlis qui est passus: Idem omnibus apparebit, qui  
est resuscitatus! Et videbunt & agnoscent, qui eum confixerunt:  
Utique ipsam carnem in quam saviorunt: Sine qua nec ipse esse po  
terit, nec agnoscit. Omnia periclitabuntur aliter accipi quam sunt,  
& amittere, quod sunt dum aliter accipiuntur, si aliter accipiun  
tur, si aliter quam sunt cognominantur. Fides nominum salutis est  
proprietatum. Ibidem Tertullianus p.: 19, circulatorium.  
Christum vocat, qui carnem gestet sine ossibus duram sine mu  
sculis solidam, sine sanguine cruentam, sine tunica vestitam, sine  
fame esurientem, sine dentibus edentem, sine lingua loquentem.  
Denique omnia quæ ibi extant in Con- & Transsubstan  
tiatores quasi ex professo scripta videri possunt. His enim  
licuit, cum Valentiniano (verba Tertullani iterum retineo)  
ex privilegio heretico carnem Christi spiritualem comminisci.  
Quidvis eam fingere potuit, quisquis eam credere noluit, &c.  
p. 20. ib. in Edit. Paris. An. 80.

\* Hæc est de scriptio ejus Christi, qui substantialiter est in hostia.

pag. 14.

V III. Athanasius in lib. de salutari adventu Jesu Christi  
Tom. I. p. 499. Αλλα υμεις inquit, πάντες τοις Φύσιν λέγετε, καὶ  
ἐνομάζετε, ἵνα μή ποτε κτιρίον διηγέρμενοι τηλικόνομοί αι επαλη  
θεύσητε τῷ λόγῳ, οὐκ ηγήθετε προφῆτα γέγονεν ἀληθῶς οὗτος, id est,  
Sed vos prater naturam omnia dicitis & appellatis ne pronatu

v. 2. 3



ra rerum verba facientes negotii fidem approbetis, nimirum,  
quod verbum homo vere sit factum.

IX. Idem Athanasius ex eodem fundamento castigat quosdam sui temporis fanaticos, qui Deum verbum impassibiliter passum esse asserebant. O stultam (inquit) sapientiam! o joculariam disputationem! quamore puerorum in arenâ ludentium domum eadem operâ & construit, & destruit. Passus est impatibiliter. Antequam audiam hoc verbum, quid significet; Passus est, obliviscor. Nam quod adjicitur, impatibiliter, id & mortem & sepulturam & resurrectionem tollit: in quibus salutis nostra cardo vertitur. Si enim passus est, quomodo impatibiliter? si impatibiliter, quomodo passus est? Loquemur sine voce? intelligemus sine mente? Videlicet quis labentem aliquem citra lapsum, excitatum, in ex perrectum, laborantem sine labore, sapientem insipienter, loquentem inutiliter, solutum indissolute? ut dicamus, Passus est impassibiliter. Quia ista est summa dementia? quis effrenatus furor? qua caca mentis vesania? de mysterio omnium maximè venerando ea loqui que magnos risus excitant? pollicerirationi congrua, & à ratione alienissima proferre? ita respondere, ut videare non respondisse? interpretationem adhibere, re explicanda obscuriorum, & majoris dubitationis matrem? Qui fit, quod Sanctorum nemo tam alta sapere & illo ab adversariis tantoperè celebrato verbo uti potuit; Passus est impassibiliter (esse in omni loco illocaliter) Ipsa sacra litera tot capitibus distincta, quid est cur magnificentiam hanc arcancrum revelationem nobis non detexerunt? &c. Demum concludit Athanasius his verbis: Aut vera igitur omnia illa credenda, adeoque passio ipsa vera confitenda: aut si passio impassibiliter facta fuisse dicatur, figurata, phantastica imaginaria omnia fuerint necesse eus. Hæc ille Tom. 2. p. 255 & multi ibidem plura, quæ inphantasticum imaginarium Ubiquisticum corpus examissim convenient.

Sed



X. Sed jam ne longius abeamus , specimen quoddam  
hujuscemodi vertiginis ostendendum est. Non exutie-  
mus autem omnes terminos qui hic occurrant : sed τὸν  
παρεπιδούντανον Est tantum intuebimur , ejus vim atque offici-  
um ostendemus, & abusum monstrabimus.

XI. Quia enim de supposito seu personā voce *MIHI* de-  
signatā primū egimus, & de οὐσίᾳ postea disputavimus,  
verba etiam dandi accipiendi , babendi suo loco elucidavi-  
mus, restat, ut nunc ad voculam *Est* (quippe quæ in omni-  
bus enuntiationibus , sive expressè , sive implicitè conti-  
netur) nos convertamus. Nam ne hanc quidem nobis sal-  
vam reliquit tenebricosa quorundam capitum fuligo.

XII. Ex eo namque, quod in hac valedictoria sententia  
omnē potentiam sibi datam Christus profitetur, & se fu-  
turum nobiscum pollicetur : quidam evincere volunt, o-  
mnipotentem , & omnipræsentem humanitatem Christi  
esse , omnipotentiā & omnipræsentia eā , quā ipse λόγος  
ubique & præsens & potens est, id est, absolutā.

XIII. Consideratiūs hoc à nobis ideò faciendum est,  
quia continetur in vocula *est* summa & incommutabilis  
veritas , quæ nulla sese supernaturalis & arcani modi ex-  
ceptione eludi aut elidi patitur. *Omne n. quod est, quando est*  
*necessere est esse.* Unde quicquid per *est*, & non *est* de eodem af-  
firmatur simul & negatur , contradictionem implicat,  
quæ ipsi divinæ summæquæ veritati ac necessitati adver-  
satur.

XIV. Quare licet millies vocifereris , esse aliquid tale  
naturaliter, & supernaturaliter simul tale non esse , contra-  
dictionem tamen non effugies. Falsum enim est, contra-  
dictionem à causa supernaturali verificari posse: imo blas-  
phemum est & insanum dicere, *Deum posse facere, ut aliquid*  
*non-*



*non sit id quod est, eo ipso quando est; seu, ut simul sit, & non  
sit id, quod est, seu esse dicitur.*

XV. Idque non tantum in necessariis, sed etiam in contingentibus obtinet. Si enim verum est, me jam scribere, nullo modo ac ne supernaturali quidem & divino verum esse potest, me non scribere.

XVI. *Huic veritati (in virtute voculae est contenta per eamque expressa) Deus non potest adversari in quo est ipsa summa & incommutabilis veritas: quo illustratur, ut sit, quicquid in quorumque animis & mentibus verum est. Verba sunt Augustinilib. 26. contra Faustum Manich. c. 5. Tom. VI.*

p. 463.

XVIII. Quare non dubitaverim affirmare, possibilitatem omnem in rebus; quatenus etiam Dei potentiae subjiciuntur, à vocula est mensurari, saltem quatenus intelligimus, id omne fieri posse, quod non implicat contradictionem: & contrà, à dūvator simpliciter esse, quod in hoc veritatis principium, inque hanc possibilitatis mensuram, incurrit.

Thomas p. I. sum. q. 25. ar. 3. Quicquid potest habere rationem entis, continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens.

XVIII. Argumentum non incongruum huc acciri potest ex verbis Pauli, quae habentur, 2. Corinth. i. v. 19. *Iesus Christus* (qui est ipsa veritas) *non fuit etiam & non, sed etiam fuit in ipso:* & ex præcepto, quod inde in mores redundant (ut perfectionis nostræ indice) ab ipso Christo tradito Matth. 5. v. 37. & repetito à Jacobo Apostolo c. 5. v. 12.

XIX. Evidenter quoque id monstrant dicta omnia, quae Deum veracem esse testantur, quae negant, ipsum mentiri posse, mutari posse, &c. &c. quae nobis confirmant, solum Diabolum esse mendacem. Mendaciū n. est contradicō.



**X X.** Sed ad rem Dico ergo, impossibile esse, unum de altero verè affirmari posse, id est, dici verè posse, unum esse alterum per verbum substantivum *est*, nisi revera unum sit alterum, per aliquem modum identitatis: nisi, inquam, revera subjectum sit id, quod est prædicatum & econtrà: nisi unum quid & idem insit prædicato simul & subjecto, secundum quod alterum cum altero per vocabulum substantivum est conjungatur, & ut, scholastici loquuntur identificetur. *Breviter.* In omni affirmatione propriè dictâ nomine *est* significatur aliqua identitas subjecti & prædicati.

**X X I.** Atque hæc est identitatis & secundum eam affirmationis, qua unum esse alterum verè ac propriè dicitur ratio communissima: quam omnes animo concipiunt, & per affirmationem intelligunt: quemadmodum negatio unius de altero nihil aliud est, quam distinctio rei unius ab altera, quam ipse Aristoteles *diaίρεσιν* vocat, sicut affirmationem *Cύριον*.

**X X II.** Res quidem manifestior est, quam quæ exemplis egeat. Addamus tamen propter obstreperos aliqua: Christus confirmatus discipulis post resurrectionem, se eum ipsum esse, qui ante cum ipsis versatus fuerat, non alium; *Ego, inquit, ipse sum.* Luc. 24. v. 39. Dominus cum legem promulgatus Israelitis, ostendere vellet, se eundem esse, qui filios è servitute Ægyptiacâ liberasset, *Ego, inquit, sum.* *Dominus tuus, qui eduxit te è terra Ægypti.* Exod. 20. v. 2. &c. Identitatis ergo hujus nota est affirmatio: quæ sit per vocabulum *est*. Nec planè habemus alium modum, quo identitatem declaremus, nisi per ejusmodi affirmationem.

**X X III.** Est autem hæc identitas duplex, *formæ* alia, alia *suppositi:* Quicquid enim affirmatur esse alterum, aut est unius

unius ejusdemque cum illo essentiæ & naturæ , aut est se-  
cundum suppositum idem cum eo, de quo enunciatur. Sic  
homo dicitur animal, quia animalis natura in homine est.  
De hoc lacte dico; *hoc album est dulce, & hoc dulce est album*,  
quia idem est suppositum quod simul album & dulce est.  
In his: *Iesus est homo, Petrus est homo*, & formæ significatæ,  
& suppositi concurrit identitas , secundum quam prædi-  
catum de subjecto verè affirmatur. *Mater virgo est, & virgo*  
*mater* identitate suppositi. Mater est , propter partum, qui  
in hac Matre & Virgine est. Virgo est propter illibatam  
pudicitiam , quæ iditem in hac matre & virgine una est &  
eadem. Et hic solus est usus particulæ, est, si propriè acci-  
piatur: nec ullum exemplum contrarium afferri potest:  
nempè, ut in omni enuntiatione, qua unum de altero pro-  
priè affirmatur, aliquam identitatem utriusque significet.

**X X I V .** Quod cum ita sit, sequitur , in his etiam proposi-  
tionibus: *Deus homo est & homo est Deus, est omnipotens, est*  
*eternus, ubique præsens, &c.* esse aliquam identitatem. Con-  
stat autem Deum esse hominem , quia una est persona Dei  
& hominis. Neque enim homo propter naturam divinam  
identicè est id, quod est Deus, sed propter hypostasin tan-  
tum divinitatis filii, in qua subsistit humana natura: per  
quam fit, ut hic homo ita subsistens filius Dei sit & dicatur.

**X X V .** Omnes ergo prædicationes quæ hanc identitatem  
non complectuntur vitiosæ sunt , legitimæ contra quæ e-  
andem includunt. Ratio est quia *omnis proposicio affirmatu-*  
*va falsa est, si subjectum & prædicatum non supponunt pro eodem.*  
Quod cum immotè verum sit, nunquam certè Humaniti-  
tas, vel Christus secundum humanitatem Deus, omnipo-  
tent, ubique existens esse potest. Ratio est: quia Humaniti-  
tas non est suppositum seu persona, secundum quam so-  
lam.

Iam homo Deus omnipotens, & eternus ; Deus homo mortalis, circumscriptus, finitus, natus est, & dicitur.

**XVI.** Non est divinitatis genetrix inquit Maxentius ut tu Nestorios credere autemas, quamvis propriètate verè sit Dei genetrix: quia non divinitatem Dei verbis sed Deum verbum ex se factum genuit. Dial. i. apud Siml. in narrat. controv. de pers. Christi pag. 56. Confitemur Dominum nostrum Jesum Christum totum Deum & hominem: totum Deum etiam cum corpore, sed non secundum corpus Deum: totum hominem, etiam cum divinitate, sed non secundum divinitatem hominem: totum rursus adorabilem, etiam cum corpore, sed non secundum corpus adorabilem: totum adorantem, etiam cum divinitate, sed non secundum divinitatem adorantem: Totum increatum etiam cum corpore, sed non secundum corpus increatum. Hæc est confessio Patrum Antiochenorum in Concilio Ephesino.

**XVII.** Patet hinc quo sensu homo Christus Deus sit, nempe non secundum humanitatem Deus, sed secundum hypostasin humanitatis suæ. Et verè tamen, ac propriètate substantialiter hic *Homo Deus est*: quamvis humanæ natura, ne in hypostasi quidem, ullo modo sit Deus, & eterna, ubique existens, &c. Sicut nec Deus secundum naturam divinitatis ullo modo natus est, aut natus esse dicitur. Ex quibus certè proprietas voculæ *Est* clarissimè elucescit. Ac si ullo modo nasci identicè competeret Deo verbo secundum suam naturam, non jam *autem vero* vere dici posset, ad Hebr. 7. v. 3.

**XVIII.** Quare eos, qui humanitatem ipsam volunt esse, omnipræsentem & omnipotentem, affirmare necesse est, Divinitatem modo quodam *unum quid* & *idem* esse cum natura humana. At hoc planè impium est & impossibile. Quod enim est *unum* & *idem* cum humana natura, non est vere.



vere natura divina. Nam natura divina prorsus est aliud quiddam à quacunque natura creata. Neque potest ullo arcano modo cum re creata unum & idem esse, quin amittat suum esse. Siquidem eo ipso, quo est, differt & est aliud quiddam à quocunq; altero.

**XXIX.** Quare cum affirmant Christum secundum divinam & humanam naturam esse *unum quid* & *idem*, certè neque divinam neque humanam naturam nobis relinquunt, sed utramque suo esse exspoliant: quod Hieronymus ostendit, his in symbolo ad Damasum verbis: *Ilorum quoque exeramur, (inquit) blasphemiam, qui novo sensu afferere conantur, à tempore suscepta carnis omnia, quaerant Deitatis, in hominem demigrasse, & rursum quaerant humanitatis, in Deum esse transfusa: ut, quod nulla unquam heres dicere ausa est, videatur bac confusione utraq; exinanita substantia, Deitatis scilicet & humanitatis, & à proprio statu in aliud esse mutata.*

**XXX.** Hoc omnino etiam sentire videntur adversarii: quando voculam *Est* exponunt, & per vocabula *Homo*, *Deus* non suppositum divinæ & humanæ naturæ, sed Naturam ipsam humanam vel divinam intelligere se dicunt, cum respectu tamen, utilloquuntur, ad suam hypostasin.

**XX XI.** Instant tamen (id quod πεπονι εορυ ψευδος, & omnino palmarum est). propter unionem humanitatis, cum divinitate omnia hæc, quæ ipsi afferunt, verificari, nempe, Humanitatem esse omnipresentem, omnipotentem, &c.

**XXXII.** Verum multiplex est hic eorum error, quem ex aliis alijs fundamentis revicimus: nunc ex natura saltem veræ affirmationis quæ fit per voculam *Est* cum redarguere libet: idque è diligentius & plenius, quò illi laius evagantur hoc μογκολονία faschinati, q; vera unio efficiere.



cere etiam in Cœna sacrâ possit, ut alterum de altero ī-  
παραγόντες, per voculam *Est*, & quidem propriè p̄ædicetur.

**XXXIII.** Falsissimum hoc est. Si enim Panis Evcharisti-  
cus esset propriè corpus Domini, omnino sequeretur, aut  
panis & corporis eandem esse naturā & formam, aut sup-  
positum utriusque unum & idem esse: nisi forte cum Pon-  
tificiis panis materiam abiisse, corporisq; pro eo substanc-  
tiām accessisse dicere malint.

**XXXIV.** Rat' o est, quæ nullam prorsus patitur instantiam,  
hæc nempe ; *Quod unio per se sola nunquam tantum efficere*,  
*queat: ut propter eam res de re identice p̄ædicetur.* Nunquam  
enim corpus anima, vel anima corpus esse affirmatur:  
nunquam divinitas humanitas, aut contrà esse dicitur:  
quantumvis arctissimè inter se uniantur : nunquam ferrū  
ignis est aut contra: nunquam digitus brachium est : et-  
jam si hæc duo non tantū in supposito uniantur, sed etiam  
effentiam communem habeant.

**XXXV.** Instabis; *Ferrum ignitum dici* Resp. Manifesta hic  
est identitas suppositi & formæ. Ignitum enim quid aliud  
significat, quam subjectum cum forma accidentalī ignis,  
qui est calor? Neque alia ratione *Ignitum ferrum* dicitur,  
quam aqua calida, aut prunæ ignitæ: Vinum ignitum quod  
semina quædam caloris in se habeat, ut Gellius ait libr. 17.  
c.8. Apulejus Martis stellam ignitam vocat, saltem pro-  
pter colorem ignis, quem repræsentat. Eum vere formaliter  
inesse huic stellæ quis negabit? Nisi Ergo Adversarii  
Humanitatem velint facere subjectum divinarum pri-  
prietatum & ἐνέργειῶν, nunquam certè hoc obtentu evin-  
cent, Humanitatem esse omnipræsentem & omnipotentē.

**XXXVI.** Hic tamen ne quæso nobis obstrepat aliquis suis  
confusionibus, quas extricavimus jam pridem. Posse enim  
suo,



suo sensu, & eo quidē sextuplici, omnipræsentia & omnipotentiam Humanitati Christi attribui jam fassi sumus in thesibus de *Expositio*. Nunc de absoluta omnipotentia & existentia divinitatis in omni ubi agimus, per quam Adversarii omnipotentem & ubique existentem esse affirmant Christi humanitatem, ratione unionis facta in persona, quod falsum & absurdum esse ostendere nitimur.

**XXXVII.** Non attendimus etiam hic alias quasvis enunciations impropias, denominativas, vel etiam planè hyperbolicas: quas in sanctis Patribus identidem occurtere nemo ignorat: secundum quas liceat tibi *divinitatem humana* & *humanitatem divinam* dicere cum Augustino: Cum Vigilio *divinitatem clavis confixam* esse: cum Fulgentio, *virtutem Deitatis esse passam*; cum Eusebio *absorptam esse* (*narrative*) *humanitatem in divinitatem*. Sed nos accuratae veritatis vestigia nunc premissus. Ideoque affirmamus, contra adversarios, *nullam omnino tantam unionem aut conjunctionem esse, fuisse, aut futuram esse, cuius vi res unita de se mutuo prædicari possint*: ac proinde falsum esse, quod ipsi dicunt; Naturam de natura prædicari in propositionibus de filio Dei: seu humanitatem unitam verbo, Deum, esse & dici (id enim nisi fallor, ipsis est concretum humanitatis) *verissimum econtra esse*, de persona propter idenitatem hypostaseos naturarum attributa sine discrimine prædicari: nequaquam autem de naturâ vel divina humanas vel humanâ divinas proprietates enuntiari posse.

**XXXVIII.** Fuit hoc diligenter animadversum à Patribus, præsertim post certamina mota ab Euthyphron. Ita *Rusticus Diaconus* in eruditissimo Dialogo contra *Acephalos*: c. 10. p. 154. ap. Simler, in scriptis, Veterum de pers. Christi: *Non Deus verbum, inquit, per divinam naturam, sed divina natura*,  
*per*



per Dei verbi personam unita dicitur carni. Si enim tota Trinitas incarnari voluisset, tunc forsitan justè ipsa per semetipsam fuerat incarnata natura: omnia enim, quæ illi natura, secundum se & propter semetipsam adsunt, communia Trinitatis, & non propria unius soliusque persona sunt. In humanatio autem novi Trinitatis communis, sed propria solius est subsistentia verbi. Incarnatus est igitur & Deus verbum & natura ejus, sed ille quidem per semetipsum, & secundum quod & ipse: illa vero non ita, sed per personam. Igitur Deus verbum secundum semetipsum quidem unitus est carni: una enim persona & una subsistentia facta est cum carne: secundum naturam vero conjunctus est potius quam unitus: duæ enim mansere naturæ: & per comparationem verbum potius unitum est carni, quam natura ejus, & ob hoc istud potius.

**XXXIX.** Patet ex his identitatis & unitatis ratio: ad quam prædicationes omnes conformari debent, quæcunque de naturarum communione usurpantur: quod quia non observant Ubiquitarii, errare eos necesse est: præsertim cùm discrimen naturæ à personâ non velint attendere. Atque ita sit, ut communissimos etiam terminos, quos Deus & natura nobis præfixit, cogantur pervertere. Quid enim vocula *Est* communius usquam reperiri potest? Et tamen, ne hanc quidem salvam nobis relinquunt.

**XL.** Arcanos suos modos opponunt: quibus ostendere satagunt: naturam humanam cum divina aliquo modo unum quid & idem esse. Sed quisnam eis hæc mysteria revelavit? quis communissimos hosce terminos inusitato quodam modo & prædicationis genere explicando esse monuit aut imperavit? Non Christus, non Apostoli, non Patrum ullus. Et quidnam sanum nobis aut integrum deinceps super erit, si permiserimus cuivis ad arcanitates suas quoquo modo provocare? \*

42. Ve-



\* Vide Augustinum lib. 2. c. 32. de doct. Christiana Tom. 3. p. 39. ubi  
distinguit inter veritatem connexionum & veritatem sententiarum.  
Quem si legeris, sapere utiq. melius incipies, nisi reprobus es.

**XL I.** Verum quidem est, mysteria divina secundum propriam suam rationem à nobis pervestigari non posse. Si quid tamen verbis & oratione de divinis rebus verè, & circa temeritatem enunciamus, necesse prorsus est, ut communis saltem aliqua notio sive proprietate sive figuratè significata verbis ad res ipsas divinas verè accommodatis dari possit: alias nihil credemus, tantum sine mente sonos dabisimus.

**XL II.** Novimus quid sit Trinitas, quia novimus quid sit tria: ait Augustinus l. 8. de Trin. c. 5. Credimus Dn. N. J. C. natum de virgine, quæ Maria vocatur, *Quid sit autem nasci, & quid sit virgo non credimus*, sed prorsus novimus p. 351. T. 3. Eas jam & dicas, arcana quadam virginitatis ratione, prorsus diversa à communi aliarum virginum conditione, Mariam virginem fuisse: aut, si lubet, dicas etiam personas in Trinitate non tres sed septem jam esse, non tamen secundum communem septenarii rationē, quam omnes, qui sanā mente prædicti sunt, concipiunt, sed alia quadam, arcana & ineffabili. Nos te arcana potius quadam stultitia laborare omnes haud temerè pronunciabimus.

**XL III.** Ad eundem prorsus modum si secundum ubiquistica mysteria affiras, divinitatem cum humanitate arcana quadam ratione unum quid & idem esse, & secundum hanc identitatem de humana natura divinas proprietates & operationes enuntiari, eamque omnipræsentem & omnipotentem dici: nos te merito facessere jubemus.

**XL IV.** Quid? quod Ecclesiæ vox nimis evidens est & manifesta: qua omnis in naturis proprietatibus & ὀρεγγείαις huiusmodi

C

jusmodi



jusmodi identitas ab hoc mysterio penitus proscribitur.  
De cœgycia; jam sufficiat autoritas S. Maximi qui in disputatione cum Pyrrho Monothelita. <sup>a</sup> Cum recusent isti, inquit, fateri esse voluntatem naturalem, dicturi sunt, esse hypostaticam: si hypostaticam esse dixerint, erit igitur sic quidem filius alia voluntate, quam Pater. hypostaticum enim solam hypostasin designat? <sup>b</sup> c. Item. Cum unam operationem dicitis, quamnam istam unam dicere placet? divinam, an humanam an neutram? <sup>c</sup> Respondet Pyrrhus haereticus: Cum dicimus unam operationem divinitatis Christi & ejus humanitatis, non dicimus hanc in eo inesse ratione naturæ, sed modo unionis. Ad hæc S. Maximus: Necesse est ut aut creatam aut non creatam esse dicatis: si quidem nulla penitus intermedia est inter creatam & non creatam. Si creatam dicetis, solam naturam creatam indicabit operatio creatæ: si non creatam: solam naturam non creatam signabit. oportet enim omnino naturalia naturis convenire. At quo modo fieri potest, ut naturæ creatæ, & quæ cœpit esse operatio sit non creatæ & sine principio atque infinita & creatrix & conservatrix: vel naturæ non creatæ & principio carentis operatio sit creatæ & cœpta atque terminata, & quæ ab alia naturâ ne dissolvi queat conservetur? <sup>d</sup> c. <sup>e</sup> c.

a Apud Baron. p. 689. Tom. 8 in Annales. b p. 700. ib. c Quid quæso aliud adversarii nunc clamant?

**XLIV.** Addamus & Damasceni illud τολυθεύλητον. Si una, inquit, dominatoris actio est, aut creata erit, aut increata. Medium enim aliqua inter ista duo non est actio, quemadmodum neg. natura. Si igitur fuerit creata: creatam solum ostendet naturam; si vero increata, incretam solum essentiam designabit. At in Christo increata & creata natura: igitur & actio Divina igitur signa divinitas operabatur, sed non citra carnem, & caro humilia, sed non citra Deitatem.

**XLV. Se-**



**XLV.** Secundum hæc & consimilia alia Sanctorum Patrum effata querere jam liceat ex Ubiquitariis: num existentiā Carnis Christi in omni ubi, quam omnipræsentiam vocant, humanam *creydar* esse putent, \* an verò divinam? Divinam non dicent, opinor: est enim, secundum illos in humana naturā, in tantum, ut ea secundum substantiam, in omni loco esse putetur, in quo existit divinitas: nec humanam certè dicent hanc esse *creydar*: quod perse satis claret. Sequitur ergo eam partim divinam, partim humanam esse: aut certè *creydar* esse divinæ naturæ in humanâ (ut quidam loquuntur) adeoque tertium quiddam conflatum & resultans ex divinâ & humanâ natûra, quod personale vocare consueverunt & supernaturale, miraculosum & illocale: quale reverâ nihil est in Christo; ac si quid tale esse dicitur, Christus omnino negatur, & destruitur, ut supra ex Hieronymo didicimus & ut habet in loco allegato S. Maximus. Atq; hæc omnia ex constituto à nobis ante fundamento de naturâ veræ affirmationis & propriâ virtute voculæ *Est* planissima sunt.

\* Loquor ex hypothesis Adversariorum. Etenim ubiq; esse est modus essendi, ut loquuntur quin nec à re modificala, cuius est modus separari possit: nec rei à tali essentiâ & naturâ diverse, ullo modo potest attribui. Quid? quod omnipræsentia essentia, de qua hic agimus nihil aliud est, quam adius immensitatis atq; infinitatis Dei, nihil proinde ubiq; est, quod non est infinitum. Sic reverâ infinitam faciunt carnem, quæ *est* in omni loco existere unâ cum divinitate, contendunt.

**XLVI.** Quare ut paucis multa complectamur, & ut in omnibus ubiq; enuntiationibus verbi substantivi vis intellegi possit, dicimus, voculam *est*, si propriè accipiatur, vel formæ vel suppositi identitatem inferre; si impropriè, similitudinem tantum vel representationem indicare.

**XLVII.** Formæ identitas est in his propositionibus: *Deos λόγος est aeternus, infinitus, immensus, omnipotens. Humana Natura in Christo, vel Christus secundum carnem, est natus, passus, mortuus, finitus circumscriptus, &c.*



**XLVIII.** Suppositi seu personæ identitas est in his: Elius  
Mariæ est æternus, incorporeus, omnipræsens: Deus na-  
tus passus mortuus est. Quod pertinent sententia nostræ:  
Mihi data est omnis potestas: Et; Ego sum vobis cum.

**XLIX.** Identitas analogica, quæ in similitudine vel repræ-  
sentatione consistit, est in his: Panis est corpus Christi, Vi-  
num est sanguis Christi; Poculum est N. T. Petra est Chri-  
stus: Johannes est Elias. Christus est Pascha. Circumcisio  
est foedus, &c.

**L.** Nulla identitas est in his: Deitas est passa: Humanitas  
est ubique. Ideoque impossibiles, absurdæ & hæreticæ ta-  
les sunt enuntiationes.

**L.I.** Sic hæreticum est, & ex AntiChristi schola apud U-  
biquitarios reliquum, quod dicunt; Panem esse corpus  
Christi propriè, propter unionem scilicet corporis Christi  
cum pane. Falsa est hæc prædicationis ratio: ut ex ar-  
gumentis suprà à nobis assignatis  
eluxit.

**J E S U C H R I S T O Æ T E R N O**  
**Dei filio sit gloria & honor**  
**in secula sempi-**  
**terna.**



617.

i

m-

22.





Disputatio Quinta  
 De  
**DATIS CHRISTO**  
 in tempore:

*In qua agitur*

De vocula E S T, ejusq; propria vi, ac germana significatione,

*Ex Matth. 28.*

Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra.

ET

Ego sum vobis cum usq; ad consummationem seculi.

P R A E S I D E

**GREGORIO FRANCO THEOL. D.**  
 & Prof. Viad.

x-rite colorchecker CLASSIC

mm

